

Georg Christoph Detharding


**Rector Academiae Rostochiensis D. Georgius Christoph. Detharding ... Ad Dies
Festos In Memoriam Effusionis Miraculosaे Spiritus Sancti Pie Celebrandos
Cives O. O. O. Honoratissimos Pro Officii Ratione Excitat Atque Exhortatur
Praemissis De Spiritu Sancto Alio Paracleto Joh. XIV. 16. Meditationibus**

Rostochii: Adler, 1759

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840664435>

Druck Freier  Zugang





Dfa - 1090 1-18 (nr. 5^a-c, 18^a-c).

Wiegandst. lit. g.
V. 257.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn840664435/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840664435/phys_0003)

DFG

9.

RECTOR
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
D. GEORGIVS CHRISTOPH.
DETHARDING

SERENISSIMI DVCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI CONSILIARIUS
AVLICVS, FACULTATIS MEDICAE ET COLLEGII PROFESSORVM
DVCALIVM SENIOR

AD
DIES FESTOS
IN MEMORIAM EFFUSIONIS MIRACULOSAE
SPiritus Sancti

PIE CELEBRANDOS

CIVES O. O. O. HONORATISSIMOS

PRO OFFICII RATIONE

EXCITAT ATQVE EXHORTATVR
PRAEMISSIS

DE
SPiritu Sancto Alio
PARACLETO

IOH. XIV. 16.

MEDITATIONIBVS.



ROSTOCHII,
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERİ, SEREN. DVCIS AVL
ET ACAD. TYPOGRAPHI, CIDIQCLVIII.



Magistri abituū ad Patrem imminentem aegerrime feren-
tes discipulos tum institutione atque exhortatione, tum
luculentis promissis atque pollicitationibus confirmatu-
rus Saluator noster, p̄ae coeteris ad SPIRITVM SAN-
CTVM a se propediem coelitus mittendum eosdem re-
mittit. Adp̄ellat eumdem τὸν παράκλητον eumque
alium ΙΟΗ. XIV. 16. inquiens: Καὶ ἐγὼ ἔρω ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ
ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένη μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰώνα.
Et ego orabo Patrem, et dabit alium Paracletum, ut maneat vobiscum
in aeternum. Duea potissimum voces hoc commate erunt peruesti-
gandae, quid Paracleti vox sibi velit, et quo sensu *alius* dicatur. Quod
semper de παράκλητον nomine moneri solet, et h. l. notandum, quod
scilicet sit IOHANNIS Euangelistae et Apostoli proprium nec a reli-
quis Scriptoribus sacris usurpetur. Quater in IOHANNIS Euange-
lio legitur Cap. XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 26. et semel extra illud
Ioh. II. 1. vbi de Christo dicitur.

Promittit IESVS locis citatis Discipulis suis Spiritum veritatis,
quem παράκλητον vocat, a Patre et se ipso procedentem, quem scilicet
Pater mittet nomine Filii, quique alias est a Patre et Filio. Non
iam idioma illud Spiritus S. personale, processionem a Patre, Filioque,
percurram 1). Sufficiat mihi in vnico subsistere παράκλητον nomine,
quippe

1) Confer. SVICERVUS thes. eccl. ad vocem ἀλλος p. 196. c. 2. et
F. A. LAMPE Comment. in Euang. Ioh. T. III. p. 143. not. f.

quippe quod Interpretes ad ynum omnes occupauit et fere defatigauit. Est vox graeca, retenta tamen ab Interpretate Vulgato, qui ita vertit : *et ego rogabo patrem, et alium paraclytum dabit vobis* 2) quamuis Ioh. II. 1. vocem aduocatum substituit. Transiit etiam in antiquam N. T. versionem Syriacam, in qua verba ita fluunt : **וְאַנֶּא אָכְנָא כִּין אֲבִי וְאַחֲרָא פְּרָקְלִיתָה נָתֵל לְפָנָן :** דְּנֹהָא עַמְּכָנָן, quod et versio confirmat arabica secundum Syriacam confessi, quae quidem non ad manus est, constat tamen ex CASTELLI Lexico heptaglotto, vocem **פְּאַרְקְלִיט** adhiberi. Deprehendi pariter in versione Aethiopica et Persica ex SALMASIO 3) et BODIO 4) compertum habeo. Ut taceam Iudeos et Talmudicos, quibus etiam haec vox innotuit. Ita enim in Talmude R. ELIESAR loquitur : **הַשְׁׁחָה מְצֻוָּה אַחֲרָ קָוָנה לוֹ פְּרָקְלִיט אַחֲרָ הַעֲבָרָה עַרְוָה אַחֲרָ :** Qui mandatum unum seruat, sibi adquirit Paraclytum unum, et qui unam transgressionem facit, adquirit sibi Catigor unum. Tandem occurrit in Paraphrase chaldaica ad Iob. XXXIII. 23. Vtrum autem ex his colligi possit, linguam graecam tanquam communem his linguis voces suas dedisse aut Seruatorem nostrum, etiam syriace loquentem, eamdem vocem adhibuisse, quod viri quidam docti adserunt, meum non est disquirere. Conuerto me potius ad Graecos, a quibus vox est profecta. Non iam ad primitium **καλέω** recurram, quem omnibus constet, illud de vocatione omnimoda usurpari 5);

A 2

nec

- 2) Ad manus est editio VVIGATI, Basileae 1491. per Io. Fröben: de Hammelburck elegantissime, litteris maiusculis nitidissime pictis, in quo impressa. Recensetur in b. D. BAVMGARTEN Nachrichten von merkwürdigen Büchern, Vol. V. p. 7. sicut alia ex eadem officina 1495. prodiit I. c. Vol. III. p. 2. Ab exeunte Saec. XVI. in Ecclesia Romana obtinuit editio Vulgati Sixtino-Clementina, quae habet : *et alium paraclytum* Sicut Stephanicae posteriores Paracletum.
- 3) ad Ius atticum et Romanum p. 855.
- 4) Vir hicce Professor iam Helmstadiensis celeberrimus ut ex aliis ita ex persico idiomate bibliis polyglottis Angl. obuio quatuor Euangelistas latine vertit, vid. Euang. Ioh. p. 38.
- 5) Consulantur Lexica graeca, nominatim STOCKII et SVICERI ad vocem **καλέω**.



nec quempiam fugiat, praepositiones, ad quarum classes παρα refendrum, in compositione non tantum augere atque intendere, sed etiam per vim Etymi aut usum mutare vocum significaciones, quod innumeris, si placet, exemplis ex Lexicis doceri potest. v. g. εγκαλέω adiuso, ἔγκλημα Crimen αἰνέγκλητος inculpatus. Sic παρακαλέω enixe rogare significat, ut patet ex 2 Cor. XII. 8. vbi PAVLVS dicit: τρὶς τὸν κύριον παρενέλετα ter enixe rogaui Dominum. Inde descendit vox παρακλητος cum voce παράνεστι pari ambulans passu. Testis est Philo Iudeus celebris Saec. I. scriptor, quem excerpit I. B. CARPZOVIVS 6) in Academia Helmstadiensi Prof. maxime conspiciens. „PHILO, inquit, παρακλητον et παράνεστι promiscue usurpat. Quando enim Moses Iosuam, ut post illius discessum strenuerat gerat suas, παρανέστι, excitat; noster (Philo) mox ita pergit: καὶ ταῦτ' ἐλεγεν ἵστως οὐ θεομένῳ παρανέτεως . . . ἢν δὲ καὶ χειρὶς αὐτῷ παρακαλεσαι τὸν διάδοχον. Quamvis enim non opus erat hac excitatione, non tamen omnino inutile erat tale monitum. Addit causam: Δύναται γὰρ αὐτὸς αὐγαθῶ παράνεστι αὐτοπτωκός τας ταῖς γνώμαις ἐγέραι, καὶ διάρει εἰς ὑψος, ἐπάνω τὲ καιρῶν καὶ πραγμάτων ἴδευσασθαι. Φρόνημα γενναιον καὶ ακατάπληκτον ἐνθέται. Potest enim boni viri admonitio confirmare animum labentem et exitare, ne terreatur rerum temporumque difficultatibus. Vid. libr. de Charitate p. 700. A. seq. Atque hinc patet, παράνεστι etiam ad παρακλητον referri.“ Quibus addit, vocem hanc optime intelligi ex 1 Thess. V. 11-14. vbi ad παρακλητον refert ὁκοδομίαν, νοθεσίαν, παρακαλίαν, αὐτοχήν et μακεδονίαν. Id est, ut ait 2 Tim. III. 16. διδασκαλίαν, ἐπανόρθωσιν, παιδίαν, παράνεστι, ἐλευχον. Hinc omnino manifestum, παρακλητον generalius vocabulum esse, quod omnia veluti in sinu complectitur. Haec sine dubio ratio est, cur haecce vox in sacris litteris tam variis atque diuersis veniat significacionibus, ut cuique constat. Sic, ut unicum h. l. Scripturae effatum

6) Exercitatione in Epistolam ad Hebreos ex Philone Alexandrino. pag. 153. sqq.

tum in medium proferam, 2 Cor. I. 3. Deus dicitur Θεὸς πάτης παρακλήτεως omnis consolationis Deus. Sufficiant haec de Etymologia huius vocis, plura vide, si placet, apud SVICERVUM 7) STOCKIVM 8) et FLACIVM 9). Quomodo autem substantium παρακλῆσος quod in S. litteris de Spiritu S. usurpatum, reddendum sit, disputatur. Graecis hoc nomine tales significantur paracleti in foro, qui tanquam amici aduocabantur et ab aduocatis, qui caussam alterius agebant, et ἐγγλωγές vocabantur, distincti erant. Aderant enim illis tantum consiliis et intercessionibus, non caussam eorum instar aduocatorum agebant. Id quod probat PEARSONIVS 10) ex Isaeo, Harpocratone, Demosthene et aliis. Huc facit, quod F. A. LAMPIVS 11) de significacione huius vocis addit. *Talis, inquit, designatur, qui ab amicis rogatus et vocatus est, ut in subsidium eorum veniat, dubiamque caussam suam prece aliove modo adiuuet.* A quibus parum discrepat, quod SVICERVUS dicit: „sonat aduocatum potius quam Consolatorem. Nam παρακλῆσος formam non ἐνεργητικὴν sed παθητικὴν gerit: diciturque ὁ παρακλῆσος, ἀπὸ τῶν καλεῖσθαι εἰς τὸ παρείσαθαι τὸν, qui ad hoc vocatur, ut affixat alicui.“ De sensu huius vocis, quem apud PATRES obtinuit, et illorum quosdam de Consolatore accipere, quosdam vero Aduocati significatum praeferre, SVICERVUS 12) nos informat. LUTHERVS vocem Consolatoris (Tröster) adhibuit, quoties de Spiritu S. occurrit, Intercessoris (Fürsprecher) ubi de Christo dicitur. Vocem Consolatoris (Tröster) quod attinet, de eadem ipse fateatur 13) Megalander noster in glossa marginali ad Ioh. XIV. 26. illam paracleti nomen non satis exprimere. Interim tamen ita subinde interpretatur, ut cuncta, quae ad officium Spiritus S. spectant, ex eodem

A 3

eruat

7) Lexico graeco Tig. 1683 impr. ad vocem παρακαλέω et thesauro Eccl. Tom. II. ad h. v. col. 581.

8) Clavi Lingv. S. N. T. pag. 533.

9) Clavi Scripturae S. Tom. I. col. 1097.

10) Expositio Symb. Apost. p. 580.

11) Comment. in Euang. Iohannis Tom. III. pag. 142.

12) l. c. Tom. II. voce παρακλῆσος p. 583. 584.

13) Vid. D. Io. Ben. CARPOVII biblia parva pag. 527.



eruat. Ita enim v. gr. scribit 14): das Wort Tröster, aus dem Griechischen Paracitus (welches ist fast, was man im latein sagt Aduocatus oder Patronus) heisset einen solchen Mann, der da ist der Beschuldigten und Beklagten Beystand, der sich seiner annimmt, ihn zu vertheidigen und seine Sache gut macht und ihm dienet mit Rath und Hülfe, Vermahnungen und Stärcken, wo es ihm vonnothen thut. Et alibi 15): Paracletus, das ist Tröster und Beystand, der die Herzen in Anfechtung und aller Gefahr und Noth freudig und mutig macht.

Initiari tamen nequeo, plurimos Aduocati nomen praeferre. Sie FLACIVS 16) inquit vox paracletus proprie Aduocatum significat. Mox tamen addit: iste paracletus nos consolatur et instruit, ut Aduocatus in foro clientem. Ita quoque Erasm. SCHMIDIVS 17) semper reddit per Aduocatum et 18) hanc rationem suppeditat: quia caussam iustificationis nostrae coram Deo agit etc. His adde, quos WOLFFIVS 19) allegat. Longius progreditur Henr. MORVS 20) pronuntians: Certe vox παρακλητος significat caussam agere, et nihil amplius. Allii vocem generaliorem versionibus nostris vernacularis praescribunt scilicet Beystand, ut BENGELIVS 21) et HEVMANNVS 22). Iste vertit in hunc modum: Und ich werde den Vater ersuchen, und er wird einen andern andern Beystand euch geben, daß er bey euch bleibe in Ewigkeit. Ad vocem Beystand haec obseruat: Griech. Paracletum. Ein Advocat (Dies bedeutet in dieser Rede das griechische Wort) gib dem, dem er beystehet an Hand, was er in der Sache zu thun hat, hält den Wiederpart kräftig zurück: und bringt den Richter zu einem guten Urtheil. Alles dieses thut

14) Opera ex edit. Halens. Part. XI. p. 1403.

15) Part. XIII. pag. 1271. Part. XII. pag. 2005,

16) N. T. cum-glossa compendiaria p. 424.

17) Versione N. T. noua 1658 ad h. l.

18) ibid. p. 731.

19) Curis Philologicis et Criticis in N. T. Vol. I. p. 943. 944.

20) Opp. theol. pag. 170. Videatur LAMPIVS l. c. p. 142.

21) Uebersezung des N. T. p. 424.

22) Erfahrung des N. T. Vol. IV. p. 193. sq.

thut auch der Geist der Wahrheit. Ergib dich ihm. *Hic vero
frequenti ratione: Und ich will den Vater bitten, so wird er euch
einen andern zum Beystande geben, daß derselbe beständig bey euch
bleibe.* Ad quae verba ita commentatur: Es ist keine Benennung
füglicher, als wenn der heil. Geist im weitläufigen Verstände der
Beystand der Jünger genannt wird. Wie nun der Herr bisher
darinn seiner Jünger Beystand gewesen, daß er sie die göttliche
Wahrheit gelehret, in dem Glauben sie gestärkt, durch die Hoff-
nung der ewigen Seeligkeit sie aufgerichtet, und durch seine Ge-
genwart sie erquicket hatte, also verspricht er ihnen nach seinem Ab-
schiede eben diesen Beystand von dem heil. Geiste. Παρακλητος
heisst also überhaupt einer, der dessen Beystand ist, welcher das
Vermögen, sich selbst zu helfen und zu ratthen, nicht hat, und ohne
einen, der ihm rechtschaffen beysthet, ein elender Mensch seyn würde.
 Alii vbique vocem Fürsprecher usurpant, vt BERLEBURGENSES
 23) quorum haec verba sunt: *Er wird euch einen andern Für-
sprecher geben an meiner Statt, weil ich euch meine sichtbare Ge-
genwart entziehe et Ioh. Hen. REITZVS, cuius versio repetita est sub ti-
tulo nouae versionis in BIBLIIS PENTAPLIS.* Alii vtramque vo-
cem germanicam Beystand et Fürsprecher coniungunt, vt D. ZELT-
NERVS 24). Alii tandem suadent, vt vox Paracletus retineatur, vt
 D. F. A. LAMPIVS 25) qui omnino, inquit, *censemus, praeserendam
esse versionem per Paracletum.* Inter tot sententiarum diuortia vt vi-
am ex difficultatibus eluctandi inueniamus, praemittenda sunt quae-
dam generalia breuissimis comprehensa obseruationibus. Ad vocum
 N. T. significatus cognoscendos prosunt versiones antiquae vt Italica
seu Vulgata, Syriaca illa, secundum quam Arabica confecta est.
 Quum vero istae omnes, vt supra ostendi, ipsam vocem graecam re-
tinuerint, eo ipso docuerunt, se nullam inuenisse originali nomini
conformem. Disquirendum jam erit, quo sensu Iudei veteres hanc
accepterint vocem. In verbis supra ex TALMVDE allegatis Para-
clit et Catigor sibi opponuntur. Illud BXXTORFFIVS 26) inter-
pretatur

23) Part. V, sive N. T. Part. I, pag. 780.

24) Bibliis german. edit. 1740.

25) I. c. p. 142.
26) Lexico chald. talm, Rabinico ad vocem טרקלין.



pretatur per Aduocatum, Procuratorem, Intercessorem, Interpretem, hoc vero per Accusatorem; et hanc interpretationem cum genio istius linguae conuenire, probant non tantum Lexicographi et translatores ex ipsis Iudeis, sed etiam usus loquendi apud illos. Quod ad illos adtinet prouoceo tantum ad R. DAVID DE POMIS 27) qui hanc vocem latine per Procuratorem, Italice per Rhetor, Procuratore exprimit. R. DAVID COHEN DE LARA 28) in lingua Romana *Paracletus, accersitus et rogatus, ut faueat alicui in iudicio, Deprecator;* in Hispanica vero lingua *Rogador, Intercessor y Avogado* audire perhibet. Sic etiam in Liturgia Iudeorum 29) loco פְּרָקְלִיט usurpat vox שְׁפַרְעָכֵר Fürsprecher Intercessor. Ex his certissime constat, vocem פְּרָקְלִיט apud Iudeos Defensorem, קָטִיגּוֹר vero Accusatorem in iudicio designare. Vnum loquendi si adtendamus, nobis se fistunt loquitiones, huius vocis synonyma continentur. Refero huc vocem סְנִיגּוֹר graece σωτήρος, qua patronus et Aduocatus intelligitur. Patet id non solum ex opposito κατίγοος, sed etiam ex proverbio Iudeis usitatissimo: אָוי לֹא שְׁנָעֵשָׂה סְנִיגּוֹר קָטִיגּוֹר Vae ei, cuius aduocatus sit accusator. Vi Etymi talem denotat personam, quae cum alio et alterius loco loquitur. Mitto voces סֶרְסּוֹר Mediator אַנְטָלָר mandatarius, rel. Vnicam tantum vocem פְּרָקְלִיט addens, quum a Chaldaeo nomineexprimitur. Occurrit 30) Gen. XLII. 23. de Interpretate inter duos diuersis videntes linguis; de Doctore Iob. XXXIII. 23. Es. XLIII. 27.: de legatis 2 Chron. XXXII. 31. Quomodo vero Iob. XVI. 20. vertendum sit, disputatur. Mihi quidem placet a Seb. SCHMIDIO 31) citati MERCE RI sententia, quae hac paraphrasi expressa est: O socii mei, qui in me rhetoricamini, qui conquistis, selectis, et affectatis in me verbis utimini; non ad vos, ne fallamini, sed ad Deum, quem innocentiae meae testem cito, lachrymatur oculus meus etc. Suffragatur ei dem

27) in Zemach David, s. Lexico hebr. triplici lingua explanato fol. 185. Col. 2.

28) in Ir. David s. de conuenientia vocabulorum Rabbinicorum cum graecis p. 75.

29) Amstelodami 1737. edit. fol. 153. p. 4.

30) Vid. Stockius ad vocem לוֹז

31) Comment. in librum Iobi Argent. 1670 edit. pag. 698.

dem DIODATVS : *O Oratores mei, o amici mei, ad Deum stillat ocu-
Ius meus, non ad vos.* Sic Iob. XXXIII. 23. Angelus dicitur כָּל־
*Interpres diuinæ voluntatis, qui locus a quibusdam de Christo exponi-
tur. Omnia haec a me in medium prolata nihil aut certe parum ad rem
facerent, nisi hunc, quem probant, sensum vocis παρακλήσου jam ab
optimis graecis, quibus Viri supra citati usi fuerunt, Scriptoribus
innui constet, quemque parallelismus et realis et verbalis confirmat.
Potissimum vero respiciendum est ad officium Spiritus Sancti, quod in
Sacris litteris nobis describitur, quodque simul, quid nomen πα-
ρακλήσος insinuet, luculenter indicat. Generatim constitit in ope-
rationibus immediatis, quibus partim intellectum illuminabat, et sug-
gerebat, quae ipsis necessaria erant; partim voluntatem impellat, ani-
mum iis addebat, ut inter anxietates, pericula, persecutiones ani-
mum non desponderent. Pertinet huc etiam intercessio Spiritus S.
electiua Gal. IV. 6, iisque in aeternum ad finem vitae promissa, ut
hoc dicitur commate. Hac incitabantur, ut fiduciam in Deo collo-
carent, eumque nomine Christi adsidue inuocarent. Manebant Apo-
stoli, nisi Spiritu S. repleti essent, homines et ab affectibus atque im-
becillitatibus humanis non erant liberi, quoties ipsis difficultates se
obiiciebant. Statim autem succurrerit iis Spiritus S. et in omnibus sol-
licitudinibus eos fortes reddit preferendi omnia, ut vere dicere pos-
sint, quae Paulus 2 Cor. IV. 8. 9. de se refert: *in omnibus adfigi-
mur, at non coarctamur; haesitamus, at non prorsus haeremus; perse-
quitionem patimus, sed in ea non deserimur; deiicimur, at non perimus.*
Quae verba statum Apostolorum clare describunt, et simul innuunt,
quid Spiritus S. qua Paracletus ipsis praestare debuerit, et quo sensu
Christus ipsis promiserit alium Paracletum. Docet id scopus, quem
Saluator his verbis intendit, quemque, ni fallor, optime expressit Ioh.
LIGHTFOOT 32) duplēcēm tristitiaē Discipulorum rationē adducens,
Christi abitum et nouam Religionis faciem atque formam, quam am-
plexantes veteri suo Iudaismo terga dare, seque odio Iudeorum et
grauissimis periculis exponere deberent. Animos ergo Discipulo-
rum suorum erigendi promittit illis alium Paracletum, alium scilicet
B respectu*

32) Hor. hebr. et Talmudicis in IV. Euangelistas Lips. 1684.
pag. 1099. 1100.



respectu sui ipsius, quippe qui paraeleti munus hūs vsque erga Disci-
 pulos exercuerat. De eo vero Christi officio non agitur, quod in to-
 tius generis humani salutem, tanquam mundi Redemptor et Messias
 promissus in se susceperebat; sed de officiis et beneficiis, quibus Disci-
 pulos suos ornauerat et quae in eos cumulauerat. Erat Christus Do-
 CTOR discipulorum, quos peculiariter erudiebat, sicut officium prophe-
 ticum hac ex ratione ipsi in consilio Trinitatis iniunctum erat, vt to-
 tum orbem terrarum sive immediate sive mediate per Apostolos insti-
 tueret. Spectat huc lingua Doctorum, de qua ipse Esai. L. 4. Domi-
 nus dedit mihi linguam eruditam. Talem eum quoque deprehende-
 runt Discipuli, ad quos ipse Ioh. XIII. 13. loquitur: ὥμει, Φανετέ
 με, ὁ διδάσκαλος, καὶ ὁ κύρος· καὶ καλῶς λέγετε, εἰπὲ γαρ.
 Hoc intuitu, vt alia praetermittam, promittit ipsis Spiritum S. quem
 Paracletum vocat alium, h. e. qui loco Christi discedentis Magistri et
 Doctoris partibus apud Discipulos sit functurus. Cap. XIV. 26. ipse
 vos docebit omnia et suggesteret vobis omnia, quae dixi vobis. Et Vulga-
 tus Cap. XVI. 13. τὸν πέντε Ἰησοῦς αὐθεῖας, vertit: Docebit (enim)
 vos omnem veritatem. Euentus id etiam luculentissime probat. Effuso
 enim Spiritu S. in alios homines confessim mutabantur, dimissis praे-
 iudiciis mysteria a Christo proposita peruidebant, et adsensu compre-
 babant, non amplius terrena sapiebant, sed zelo flagrabant Christi no-
 men adnunciandi, et παρόντας eum publice, vbiique atque intrepide
 confitendi. Quem in finem linguis nouis instruebant et dono
 edendi miracula effusionis Spiritus S. effecto Act. I. 8. 2 Cor. XII. 12.
 Act. II. 16. 17. Iam, vt spero, euictum dedi, eodem sensu Spir-
 itum S. Apostolorum dici παρακληθεῖ, quo sensu Christus sibi hoc no-
 men intuitu Apostolorum adscribit, relationem si consideres, quae
 Doctorem et Auditores, Magistrum et Discipulos intercedit. Scio
 equidem bene, id, quod discipulis praestitit, ad munus referri posse
 Propheticum e. gr. docere, corripere, admonere etc. Erant tamen
 specialia, quae discipulos suos docuit. Optime id ipse exprimit Sal-
 uator Ioh. XVII. 12. Οὐ μην μετ' αὐτὸν ἐν τῷ κόσμῳ, ἐγὼ ἐγί-
 γεν αὐτὸς ἐν τῷ ὄντος σου· οὐδὲ δέδωκας μοι, εἰρήνην. Idem et
 de Intercessione valet. Quam si generatim spectes, omnino pro parte
 officii eius Sacerdotalis habenda. Nonne vero Christus formalis ra-
 tione

tione pro discipulis intercessit? Probant id preces eius valedictoriae Ioh. XVII. et alia loca Ioh. XVI. 26. Luc. XXII. 31. 32. probant simul, intercessionem officii τοῦ παρακλήσου partem constituere. Et ratione huius officii alium Christus promittit Peracletum, qui pro Apostolis et caeteris fidelibus intercedat. Veritatem hauc confirmat PAVLVS Rom. VIII. 26. dicens: ὑπερενθυχάσεις ὑπὲρ ἡμῶν σενεγμοῖς ἀλαλήσοις, quae verba Vulgatus vertit: postulat pro nobis genitibus ineffabilibus. Gal. IV. 6. Clamat in cordibus nostris: Abba! Pater. De ratione intercessionis tam formali, quam caussali, vberius et erudite disputat ABRAHAMUS CALOVIVS 33). Consolationem Spiritus Sancti respicere Paulum Rom. VIII. 26. συναπίλαμβάνεται τὸν αὐτὸν θεόντας ἡμῶν, quisque videt. Consolatur vero Spiritus S. partim verbaliter sive moraliter, dum immediate docet, illuminat etc. partim realiter dum vires donat atque sustentat, animum excitat atque fiduciam auget. Nunc, ut spero, facili negotio ad quaestionem: quo sensu Spiritus dicatur παρακλῆσος? responderi potest, eodem scilicet sensu, quo Christus Apostolorum dicitur παρακλῆσος, non solum quia intercedit sed etiam quia docet et consolatur. Tria haec absoluunt Paracleti munus numquam sciungenda, seniper vero combinanda, quum de παρακλήσει Spiritus S. sermo sit. Miror sane, Interpretum neminem id adtendisse, sed potius specialissimam huius vocis suppeditatae notionem.

Sic WOLFFIUS 34) istae fauere videtur sententiae, quae Spiritum S. Consolatorem pronunciat. „Paracleti notionem, inquit, ex „Rom. XII. 8: in primis repetit B. FRANTZIVS de interpretatione p. 420. unde scilicet conficit, τὸ παρακαλέντεν idem esse quod adhortari, instigare, impellere immo fiducia induere et audaciorem reddere. Et „maiorem Apostolis fiduciam animumque fuisse post Pentecosten, quam ante Christi passionem, idem exemplis ostendit l. c.“ Eamdem tuerit LIGHTFOOTVS 35) binis praincipiis nixus argumentis, primo: quia Messias Consolator (מְנֻחָה) et dies Messiae dies consolationis audiunt, quod ex Rabbini deducit. Verum quidem est, quod

B 2

lubens

33) Bibl. illustr. N. T. Tom. I, p. 790 sqq.

34) Curis ad h. l.

35) l. c. p. 1102 1103.



Iubens concedo, quod etiam ex Luc. II. 25. probari potest, Messiam
 consolatorem dici posse et deberi Elai. L XI. 1. 2. Sed a Christo ad
 Spiritum S. non valet Consequentia, Christus enim est mediator; non
 Spiritus Sanctus. Dicitur Consolator omnium gentium Hagg. II. 8.
 propter liberationem sive redemtionem hominum. Officium vero
 paracleticum ad solos spectat Apostolos, nec in redemtione consistit.
 Alterum argumentum inde petitur, quia animi Discipulorum moesti
 et turbati erant et his promissio Consolatoriis melius quadret, quam
 Aduocati. Sed erant quidem tristes et afflitti, quia credebant, dis-
 cendente Christo, se solos relictos fore. Dicit ergo Christus ἐν
 ἀφῆσαι υμᾶς ὥρανούς et promittit iis alium paracletum, qui illos
 non solum erigit sed etiam erudiat, omnemque doceat veritatem. E-
 rant etenim quam maxime insci, rudes, praecognitis opinionibus
 occupari atque imbecilles. Aliquid, non vero omnia vidit GROTI-
 VS 36) Vicarii quidem adhibens nomen, sensu tamen peruerlo, quasi
 non tantum Apostolorum sed Christi praeclere sit aduocatus, verbis
 IOH. XVI. 13. ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος addens: *ille vicarius meus, meae
 caussae patronus.* Recte igitur a CALOVIO notatur, qui: neque Vicarii
 Christi nomen Spiritui S. conuenit; quum Christus, etsi visibiliter absens,
 nobis vere adsit, neque vsquam in Scripturis ita vocatur Spiritus S. neque
 caussae Christi Patronus est, etsi veritatem de Christo perhibeat et de
 ipso testetur,, Misso iam ad finem harum meditationum Vicarii nomi-
 ne, omnia hue redibunt. Promissio his verbis contenta solos respi-
 cit Apostolos. Praestabit hic paracletus Apostolis omnia, quae Chri-
 stus iam discedens hoc usque praefuit docendo, intercedendo, conso-
 lando. Omnia ista verbis absolutebantur, quae tamen confessim effe-
 ctum producebant intentum. Redit iam quaestio de versione huius
 vocis, an in omnibus locis, in quibus vox παρακλητός occurrit, una
 eademque ratione sit interpretanda et transferenda? Affirmat PEAR-
 SONIVS 37) quem BERLENBURGENSES cum REITZIO in bib-
 lis pentaplis sequuntur. Sed aliud est, quum de Christo, aliud, quum
 de Spiritu S. usurpatur. Talia debent esse praedicata, qualia per-
 mittuntur a suis subjectis. Vox παρακλητός uno plures complecti-
 tur

36) Annotat, ad N. T. ad Ioh. XVI. 16. XVI. 13;

37) Vide, quae l. c. pag. 579. litt. v) obseruauit.

tur ideas, ex quibus illa admittenda, quae suo subiecto quam maxime conuenit. Id LVTHERVS fecit, quem ZELTNERVS sequutus est, qui i. Ioh. II. 1. vbi de paracletio apud Patrem sermo est, vocem Fürsprecher elegit, quum nomen Tröster quoad sonum et sensum huic loco non quadret. Num Lutheri versio mutanda sit et loco Tröster alia vox substituenda? Affirmat HEVMANNVS, cui vero I. F. FRISCHIUS 38) obiicit: Da das Wort Tröster so gar bekannt und bestätigt ist, auch eben diesen Nebenbegrif in sich hat, der in dem Worte Beystand ist, so dächte ich, man könnte es lieber beybehalten. Nec rem conficiunt, quae pag. 196. addit HEVMANNVS: Nun erkennen wir überzeuglich, daß παράνδυσος hier nicht ein Tröster heisse, sondern ein Beystand und daß, wenn der Herr ihnen einen andern παράνδυσον verheisset, er ihnen an seiner Statt einen andern Beystand, wie sie solchen nötig haben würden, verheisse, der nicht, wie er sie habe verlassen müssen, sich von ihnen wieder entfernet, sondern ihre ganze Lebenszeit (εἰς τὸν αἰώνα) bey ihnen bleiben, sie im Glauben und in ihrem Apostelamt stark und freudig, und alle Last ihnen zur Lust machen werde. Man höre noch, was Paulus von sich und seinen Mitaposteln 2 Cor. IV, 8. und VI. 10, bekennet: Wir haben allenthalben Trübsel, aber darüber ängstigen wir uns nicht: wir sind als die Traurigen (das ist, andere Leute meinen, unser Zustand mache uns höchst betrübt,) aber wir sind allezeit voll Freuden. Wo kein betrübter ist, wo das Herz freudig, wozu der Tröster? Qui vero animo pensaret, quae de Apostolis et eorum conditione protuli, et quo sensu haec vox (Tröster) a LUTHERO sumatur, certissime omnem huius vocis mutationem reiiciet. Quaenam vox vero ex omnibus τὸν παράνδυσον expimentibus v. gr. Advocat, Beystand, Tröster, Fürsprecher rel. optima sit, grauissimum certe erit dijudicandum. Quaecunque suas habet rationes, suosque Defensores, qui militent pro ea. Retinere vocem graecam non potuit Lutherus, vti in versionibus antiquis factum est et LAMPIVS 39) suadet. In usum Laicorum confecit illam, retenta ergo voce, eiusdem explicatio et quidem alia in Euangelio, alia in Io-

B 3

hannis

38) vollständige Kritik über die Heumannische Uebersetzung des N. T.
Part. I. pag. 433.

39) I. c. pag. 142.



hannis Epistola addi-debuerit ex alia versione sumenda. Quid opus ambagibus, si paucis quid possit expediri. Si vero quis vocem *Ad vocat nostris versionibus inserere vellet*, ambiguitati eiusdem obviam eat necesse est, quam notarunt LEIGHIUS 40) et LAMPIVS. Admitenda vox sensu, quem supra dedi, si sumatur, Aduocatus vi vocis sive sensu participialia, non vero forensi, qui etiam causidici dicuntur 41) aut nominali. Si vox *Beystand* ab HEVMANNO usurpata aduocatum sensu participiali significet, omnino voci *Fürsprecher* praferenda, quae Paracleti officium ad solam restringit intercessionem. Optime ergo egit Megalander noster, *παρακλητον* nomine *Tröster* exprimens in Iohannis euangelio, et Consolatorem ab intercessore distinguens, Filium a Spiritu S. Nomen est maxime emphaticum, plurimas του *παρακλητον* complectitur ideas, et finem praeципue indicat, quem missione huius Paracleti obtinere voluit Servator, quemque iam supra indicavi, Apostolos nimirum immediate illuminandi, dona ad apostolatum necessaria et vires conferendi, ad indefesse operandum diuino instinctu impellendi, et ex omnibus curis, angustiis, periculis, dubitationibus et afflictionibus feliciter eripiendi. Ergo sensum praebet maxime congruum. Huc accedit, quod, teste SVICERO, Doctores priscae Ecclesiae ipsi suffragentur, et ab uniuersa Ecclesia Euangelica vsu sit recepta.

Absolutis iam de voce *παρακλητος* meditationibus, epitheton αλλος facile declarari potest. Insinuat praecipue reale discriimen Spiritus S. a Filio et simul trium Personarum 42). Hac voce motus TERTULLIANVS 43) describit Spiritum S. vt vicarium Christi, dicens: *Paracletum misit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia*

40) Critica S. in N. T. pag. 503 sqq,

41) Sensu scil. bono. Nam post AVGVSTI Imp, tempora Causidicus, Praeco et Rabula pari passu ambulant et vniuersali contemtui propter garrulitatem et dicaces nugas expositi erante teste IVVENALI Sat. VI. 438. PETRONIO Sat. c. XLVI. CICERONE de Orat. I. 46. LANCTANTIO de mortibus persecutorum C. XXII.

42) Videatur omnino SVICERVS th. eccl. ad vocem αλλος Tom. I. p. 196, et LAMPIVS p. 143. f.

43) Opera Lutetiae Paris, 1641. edita Cap. de Virginibus Velandis p. 191.

❧ ♚ ❧

omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina, ab illo VICARIO DOMINI SPIRITVS ANCTO. Et alibi 44) : *Christus, quem iam pigebat rurus extra Pleroma proficisci, VICARIVM praefecit PARACLETVM.* Nemo legerit TERTVLLIANVM, quin singulare dicendi genus in eo deprehendat. Controuersiae enim Valentinianae ei vocem extorserunt. Mentem recte interpretatur, adeoque de hac voce nemo ipsum monuit. Patribus Saeculorum priorum loquutiones minus accuratae condonandae sunt, dummodo recte sentiant. Sensu generali quoque et grammatico Spiritus S. Christi vicarius dici potest, sicut etiam alio respectu successor eius. Sed in mysteriis adstinendum omnino est a vocibus non scripturariis, quae litigiis occasionem praebent. Quae enim quadam ex parte sunt similia, alia ex parte sunt dissimilia. Repetuit autem hoc vicarii nomen GROTIUS, Arminianus, Arminianos autem a Socinianis prope distare, quis ignorat. Verba eius cum CALOVII refutatione iam supra dedi. Aegre illam fert D. HEYMANNVS, qui TERTVLLIANVM citans praescript. aduersus haereses scribit 45) : *Ihr sollet, spricht der Herr, nun einen andern haben, der meine Stelle vertreten wird.* In Be trachtung dieser Worte hat Tertullian in seinem Buche de praescritione aduersus haereticos cap. 28. den H. Geist nicht unrecht vicarium Christi genennet: und ist derowegen Grotius, als er bey Cap. XVI. 13. dem heil. Geiste eben diesen Titel beygeleget hatte, von Caloven unbillig getadelt worden. Male agit HEYMANNVS, quod reprehendens CALOVIVM veritatem deserat, rationibus nullis adiectis. Proprio, speciali et scripturario sensu non potest Spiritus S. Christi vicarius dici. Vicarius enim is est, qui, altero absente et nil operante, vices eius sustinet. Sed Christus nec fuit absens Matth. XXVIII. 20. post ascensionem Eph. I. 23. nec desit operari post illam. Rom. XV. 18. Spiritus loquitur de Patre et Filio sicut in omnibus operibus ad extra ab utroque agit. Ioh. XVI. 13-16. Quomodo ergo vicarius Christi esse potest? Num etiam Patris vicarius dici potest? Vicarius et is, cuius vicarius est, eadem ratione adesse debent. Sed Christus adfuit per officium propheticum visibiliter

44) C. aduersus Valentinianos p. 297.

45) Erklärung des N. L. Tom. IV. p. 192.



visibiliter ; Spiritus S. autem non nisi inuisibiliter, si symbola praesentiae Act. II. 2. 3. et effectus excipias. Vicarius et is , cuius vicarius est, eadem ratione operari debent. Christus vero praeparauit suos discipulos ; Spiritus S. vero eos perfecit ad Apostolatum, qui ipsis paulo ante aduersationem demum commissus erat Matth. XXVIII. 18. 19. Act. I. 8. Christus instruit voce ; oeconomia Spiritus S. longe diuersa erat consistens in donis immediatis et miraculosis. Quem quaelo hae rationes non mouebunt a Vicarii voce prorsus abstinendi ? et cum C H R Y S O S T O M O dicendi : ἀλλοι παράκλησον δῶτει υἱον, τούτους, ἀλλοι ως εποιεῖσθαι.

Paracletum quidem C. O. O. H. sensu speciali , quo is promissus est discipulis , immediatum et miraculosum non exspectamus ; mediate tamen verbo Euangelii et Sacramentis omnibus offertur 1Cor. XII. 3. 13. Tit. III. 5. 6. et admittentibus media gratiae πλούτων confertur et distribuitur. O felicissimos nos ! firmissimum qui iam habemus praesidium, Spiritu veritatis et nobis promisso et nobis dato. Effusus est hic Paracletus super nos in baptismatis lauacro, Spiritus gratiae et precum , Spiritus consolationis et adoptionis , per quem, cuiusque auxilio freti clamemus : *Abba Pater!* Aquam purissimam effudit Dominus super haereditatem suam , ut nos incisi erudiamur, ob peccata nostra intercessorem habeamus, et in omnibus huius vitae calamitatibus solatio afficiamur vere diuino. Agite ergo *Cives O. O. Honoratissimi*, ut templum huius Spiritus S. euadatis, per hunc etenim παράκλησον omnia strenue et ex voto peragere potestis. Nolite vero contristare Spiritum Dei, in quem signati estis in die redemtionis. Omnis amaritudo , et ira, et indignatio, et clamor , et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem benigni , misericordes, donantes inuicem, sicut et Deus in Christo donauit vobis. Eph. IV. 30. sqq.

P. P.

ROSTOCHII IPSIS FERIIS PENTECOSTALIBVS
A. O. R. CICICCLVIII.










Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn840664435/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840664435/phys_0023)

DFG





the scale towards document

magnifice de conventibus doctorum suorum
attire ecclesiam, dubitari nequit, quum aperto
eius scriptores idem fatentur. Sic probat
iorum mentem definitio concilii generalis,
rimus Academiae Parisinae Cancellarius, 10.
dit, quod sit *politia composita*, *habens suam directio-*
nentia speciali Spiritus S. et promissione Iesu Christi,
vel humana sola industria. b) Quam definitio-
ni loco ponens, indicatam pontificiorum sen-
tientia ponit, *opugnat P A V L V S L A Y M A N N V S, Soc. Iesu,*
ocedens ex infallibili assistentia Spiritus S. est verbum
sed definitio ecclesiae, (quam conciliorum decreta
est sermo procedens ex infallibili assistentia Spiritus S.

A 3

5

Ergo

iure Constantiens. Concilii, in isthoc concilio dicta
ccccxv. quam exhibet VON DER HARDT, *Conc.*
Tom. II. p. 481. 482. Atque haec de specialiori
S. assistentia opinio, irrationem aliquando peperit
xxiii. Papae, Romae A. cccccxii. concilium
Ante primam namque congressionem, quum pro
Spiritus S. missa celebraretur, dirus et feralis
olavit, oculis in papam directo intuitu coniectis,
entes, in specie bubonis Spiritum S. adesse, subri-
monciarunt. Atque inverecunda haec bestia alteri
concilii sessioni adfuit, donec sacris fustium istibus
animis decidit. Refert haec NICOLAVS CLE-
VVS, Theologus Parisiensis, in *epistolis selectis*,
s in citato opere Hardtiano, Tom. I. P. II. p. 67.
quoque ex Clemangianis epistolis excerpta historia
WOLFFII Lect. memorabilibus Tom. I. Cap. 2.
HEIDEGGERI Historia Papatus, p. m. 175. Dis-
ciliij, funestam hanc apparitionem inseguuta, ansam-
ato et hodie adhuc notissimo Germanorum pro-
ebitur.